

p. 286. De Victoriana idem majore jure dici possit, quae cum cod. Farnesiano semper fere consentit.

Brunckius duobus usus est codicibus, No. 2884. et 2787., quos Regg. A. B. nuncupavimus, quorumque uterque Prometheum, Septem contra Thebas, et Persas continet.

Vauvilliersius quinque codices contulit, quorum priores quatuor descripsit in *Notices et Extraits des Manuscrits de la Bibliothèque du Roi* vol. I. Illorum primus, Reg. C., No. 2789. (p. 281 — 299.) Prometheum continet, Septem contra Thebas et Persas. Hoc codice usus videtur Turnebus, pleraeque enim variae lectiones, quas ad libri calcem commemorat, cum hujus codicis lectionibus consentiunt. Alter, Reg. D. No. 2790. (p. 300 — 306.) Prometheum continet; in tertio, Reg. E. 2782. (p. 307 — 317.) Prometheus et Septem contra Thebas leguntur, in quarto, Reg. F. No. 2788. (p. 318 — 323.) Prometheus, Septem contra Thebas et Persae. Horum descriptionem inde a p. 324. alius libri No. 2791. descriptio sequitur, qui illis non est adnumerandus. Est enim Isaaci Casauboni manu scriptus et continet Agamemnonem cum Casauboni notis et observationibus. Sed in earundem Notitiarum vol. IV. p. 89 — 106. quintus describitur co-